IN NUPTIIS

CAROLI BORBONII

UTRIUSQUE SICILIÆ REGIS, &c.

E T

MARIÆ AMALIÆ WALBURGÆ

SAXONICÆ

REGINÆ

COLLEGII NEAPOLITANI

SOCIETATIS JESU

Gratulatio, & Obsequium.



NEAPOLI, CIƆ.IƆ.CCXXXIIX.

Superiorum permissu.

CAROLO BORBONIO
UTRIUSQUE SICILIÆ REGI

E T

MARIÆ AMALIÆ
WALBURGÆ
SAXONICÆ

REGINÆ.

*N communi Urbis hujus, ac Regni, quæ Regalium Nuptiarum causa cunctos perva-*

ſit lætitia , noſtras ſilere muſas nec æquum , nec fas eſſe duximus . Exiles eas quidem , atque humiles eſſe fatemur ultro, tantæque gratulationi omnino impares : At ubi de obſequio erga Reges agitur , animum potius , quam muneris exhibiti magnitudinem ſpectandam eſſe nemo non videt . Hinc præ Magnatum gemmis , auroque , ruſticorum donaria majori in pretio ſæpenumero ſunt . Qualecun-

cunque hoc igitur infimæ sortis donum clementer, ac benigne, ut soletis, accipite: ac Majorum Vestrorum exemplo devotum hoc vobis Collegium, Societatemque Universam vestro Patrocinio fovere ne renuatis. Sperare id nos jubent præclaræ illæ, quibus abundatis, virtutes: quibus percensendis non mea modo quæ nulla est, sed magnorum item Oratorum facundia frustra insudarit. Ma-

jesta-

jeſtates Veſtras Deus Opt. Max. diu ſoſpitet, multiplicique, ac digna Parentibus ſobole augeat: Ita totius noſtri Collegii nomine voveo, dum hæc D. D. D.

MM. VV.

Humillimus Obſequentiſs. & Addictiſs. Famulus
Carolus de Bonis S.J. Neapolitani Bonarum
Artium Collegii Rector.

ORATIO.

Habita a Paſchale de Matthæis Societ. Jeſu Rhetorices Profeſſore.

I. CUmulas in immenſum gaudia REX FORTUNATISSIME: & quantam ex te lætitiam præcepimus quaſi per partes, omnem denique ſimul objicis nova acceſſione auctam, noviſque gratiis jucundiorem. Communis illa fuerat bonorum omnium opinio, cum primum TE, TE inquam, quaſi pulcherrimum munus a Deo huic Regno conceſſum, incredibili omnium ordinum alacritate complexi ſumus, tecum unà in hæc loca felicitates omnes commigraſſe. Quæ tam vera de te exiſtimatio fidem expectare diu non debuit: Vidimus enim (quæ autem non præclara quinquenni iſto Regno non vidimus?) ita ſtatim omnia ex re, ac voto fluere, ut quæ prima præbueras laudum tuarum, quæ felicitatis no-

ſtræ pignora, eo ſolum non maxima fuiſſe intellexerimus quod ſenſimus ampliora ſuccedere. Quæ cum in dies creber ille de te, rumor publicæ lætitiæ index, ac nuncius, differret in vulgus, maximum ſane communis gaudii fructum ita & cum aliis percipiebamus, & ſoli, ut cum jucundiſſima, nobis ſuperiora fuiſſent, jucundiora eſſe, præſentia viderentur. Hanc ſiquidem (quid enim proferre dubitem, quod ab omni aſſentationis nota vindicat laus ipſa, neque ſpe ulla, neque metu expreſſa, ſed bonorum omnium voce, ac teſtimonio comprobata?) hanc tu communi lætitiæ ſummam, gratiamque adjeciſti REX OPTIME, ut ſuperiori gaudio gratiam majoris gaudii acceſſione detraheres: & quem modo injeceras jucunditatis ſenſum, videreris idem mox jucundius extinxiſſe. At enimvero quod illud tandem fuiſſe dicam inopinatæ lætitiæ nuncium, quod omnium animos, diuturno uſu aſſuetos non niſi maxima a te expectare, magnitudine tamen, ac præſtantia perculit pene, atque abjecit? Quid enim? cum, candidiſſimus ille non hujuſce anni ſolum,

ſed

ſed perennis quoque fauſtitatis princeps, & auſpex affulſit dies, quo die recentis Conjugii primus per Urbem increbuit rumor, qua repente lætitia elati ſumus! Ut immutata protinus totius Urbis facies fuit! Ut exultare præter morem omnes, ac triumphare viſi fuimus! Quo plane apparuit, quam inuſitatæ jucunditatis plenum hoc regale connubium viſum fuerit, quod ſuperioris illius, maximæque jucunditatis abolere memoriam momento potuit. Ac tum quidem hujus lætitiæ ſenſum famâ libavimus. Quid, cum adeunte hanc Urbem, REGINA optatiſſima, publicum gaudium, non auribus modo, ſed oculis, totoque animo hauſimus? Mitto hæc,quæ adhuc videtis, geſtientium populorum inſignia percenſere: Illud unum commemorabo, quod & plurimi, qui rem accuratius rimati ſunt inſpexere: & multi ex vobis conſueverunt crebris uſurpare ſermonibus: Tantam, tam communem, tam effuſam omnium lætitiam, quantam nuſquam antea percepimus, ab iis profecto proficiſci cauſis oportuiſſe, quas nulla poſſit denique invidia,

vel

vel non fateri certiſſimas, vel non animadvertere publicas, vel uberrimas non mirari. At quas illas tandem? Circumvenior equidem numero A A. ac pene dicturum exanimat infinita dicendi materies. Num enim vos primum appellem, Neapolitani Cives, quibus iſto Conjugio quoddam ad felicitatem quaſi ſignum ſublatum eſt? Borbonia gens occurrit, in cujus poteſtate multis jam annis repoſita felicitas, ad alias primum Nationes, nunc denique ad nos profluxit. Hujus Familiæ auſpicia perſequar? CAROLUS ſe mihi offert: cui ea gloria reſervabatur, ut illam hic poſſet unus novis incrementis cumulare. Tibi REX OPTIME gratuler? dicentem revocabit MARIA AMALIA, quæ ſecum in hanc Urbem tantum quoque intulit lætitiæ, & felicitatis. Ita neque ſingula complecti oratione videor poſſe: neque tamen indictum aliquid relinquere; ne aut veſtram fortaſſe onerem ipsâ bonorum commemoratione patientiam: aut injurius fortunæ noſtræ, Regiis Conjugibus ingratus exiſtimer. Quamobrem ſic hodie agere conſtitui, ſic omnia, ſi poſſim

in

in unum conducere, ut & felicitatis nostræ, & Borbonii nominis, & Regis amantissimi, & Reginæ præclarissimæ, neque ad breve temporis punctum, aut esse immemores, aut futuri videamur. Atque hunc præstituo orationi meæ modum, ut ostendam RECENTI CONJUGII FŒDERE BORBONIAM, QUAM CAROLUS INVEXIT FELICITATEM, PERENNI OMNIUM NOSTRUM FELICITATE CUMULATAM. Neque vero est, cur de benevolentia vestra hodiernâ die laborem: Quos si rem ipsam, si tempus, si voluntates etiam vestras intueor, hortatores quoque ad dicendum habere me video.

II. Et quo planius ex hoc ipso orationis meæ aditu veluti capita fontesque demonstrem ejus felicitatis, quæ ex Regali isto Connubio in nos dimanat; duo potissimum hic statuo, ex quibus oriatur felicitas omnis, & constet necesse est: Alterum, ut præstans quædam adsit bonorum Magnitudo: Alterum, ut secura quoque eorumdem Diuturnitas. Quod utrumque dum ex his nuptiis profluere ostendo, erit profecto, ut quantus

tus

tus Borboniæ felicitati ex noſtra etiam felicitate cumulus accedat, vos ipſi intelligatis.

III. Age vero, quam nobis bonorum magnitudinem recentibus nuptiis Borbonia felicitas attulerit, ſtudioſe, ut par eſt, diligenterque contemplemur. Quamquam ſi in intimos animorum noſtrorum receſſus cogitationem referimus, præjudicata quoque a nobis hæc bona fuiſſe comperiemus. Quid enim ſibi illa volebat communis alacritas, qua, vix hujus connubii rumor caluerat, ſtatim a publicis plauſibus, & populari acclamatione ad ipſos Principes animum læti traducebamus? Illorum ſæpe gratulabamur ampliſſima cum fortunæ, tum virtutis ornamenta: Novum atque inexpectatum iter ad Regnum: Confectas feliciter Nuptias: Quæque iſtas probare in vulgus, & commendare plurimæ, & maximæ res videntur. Hæc fere ipſa audiebamus ex aliis: Hæc ſæpe iis, quos a rerum uſu & cognitione longius remotos arbitrabamur, diſtincte explicateque conabamur ingerere. Quibus profecto ſermonibus magis animorum ęſtuabat hilaritas, indeq; in omnium etiam vultus inſolens quæ-

dam

dam lætitia exundabat. At enimvero habet A A. nescio quid, pene dicam, divinum, ac prope fatidicum popularis consensio voluntatum: tametsi enim privata spes frustrari singulos aliquando consuevit; vix tamen unquam usuvenit, ut publica fefellerit universos. Primi quoque illi æstus plaudentis populi notari a Sapientibus viris, & ominis loco haberi solent: quippe qui natura veluti obstetrice effusi, neque adulandi libertatem, neque simulandi tempus habent: Quid meditati isti, cogitatique mentis nostræ sensus, qui suscipi, ac deponi morâ ipsâ potuere, quam aperte ostendunt, suo quemque ductu, & consilio præsentissimas quasdam ingentium bonorum causas nos omnes persensisse? Ut enim exorientis solis, candor ille illustrior in aere, quasi prænuncius, apparet; ita magnarum felicitatum anteceptam animo quamdam informationem, inusitatæ lætitiæ parentem, sæpe habemus.

IV. At levibus, puto, de causis, aut vulgi sermunculis hæc est hominum opinio constituta. Imo vero de his Principibus neque existimare secus, neque hæc omnia

non præſagire ſtatim potuimus: Quorum, nomen ipſum quaſi hæreditario jure ampliſſima quædam non minus dignitatis, & potentiæ, quam communis etiam boni inſignia objicere populis, atque offerre viſum eſt. Neque vero putetis velle me perennem illam, ac propriam ſive Borboniæ, ſive, Saxonicæ gentis felicitatem aut proferre, magnifice, aut nobis jucundiſſime gratulari: Quæ jamdiu graſſata ad gloriam, in hoc præſertim tempore eo denique evecta eſt, ut maximam, ac præclariſſimam orbis terrarum partem non modo famâ nominis, ſed imperii quoque amplitudine impleverit. Auguſtiora hæc dignitatis monumenta, perſecuti alii cum laude ſint: itàque perſecuti, nihil ut eorum vocibus præter æra, aut marmora, deeſſe poſſit. Me vetera revocare neque tempus, neque ratio patitur, neque hæc ingenii tenuitas, quam recentium quoque magnitudine opprimi plus etiam, quam oporteret, intelligo. Cum maxime eo fortaſſe laudabilius avita hæc generis, fortunæque ornamenta prætermittat oratio mea; quo videt facilius quoque

vos

vos intellecturos, quanta se offerat in his Principibus laudum seges, quæ præclarissimis Majorum laudibus locum in dicendo nullum relinquat. Facessant igitur prisca illa utriusque familiæ decora. Id unum, quod proxime rem spectat, quodque non ex Annalium vetustate eruendum est, sed ex memoria hominum recenti repetendum, ut vobiscum existimetis, momentoque suo perpendatis, etiam atque etiam rogo: Quam admirabili nempe consilio, quam non obscuris quoque significationibus ea quæ ex his nuptiis expectanda nobis bona forent, dudum denunciaverit ille Arbiter, ac Moderator Regnorum DEUS. Etenim cum Borbonium, & Saxonicum genus simul indulgere huic regno constituisset, ne forte latere quemquam posset, quantum impertiret boni; videte, quæ recens in utraque ea ipsa gente non modo adumbrarit, sed etiam expresserit nostræ signa felicitatis. Quæ porro ea sunt? Quæ plane potissima, populisque acceptissima existimantur, regalium stirpium decora: Nimirum nova subinde Regna feliciter nanci-

 sci:

ſci: Tum, quæ nactæ ſint, ea continuo in partem domeſticæ felicitatis vocare. Quæ duo ita connexa in his familiis, atque indiſcreta hac præſertim ætate vidimus: ita novam horum Regum gloriam cum nova Regnorum felicitate conjunctam; ut effictum nobis, ac propoſitum quoddam veluti Exemplar ante videatur eorum bonorum, quæ poſt alias retro nationes huic Regno nunc deſtinabantur, cum Stirps utraque novo cognationis vinculo Fortunam utramque inter ſe alligavit. Et quo clarioribus indiciis teneremus, hæc non temere, non uſu, non caſu geſta eſſe, ſed præſentiam in iis ſuam Deum declaraſſe, atque in poſterum præluxiſſe; ita certa hæc omnia, ac diſpoſita voluit, ut utrique Reges, iiſdem veluti gradibus, iiſdem quaſi incrementis, ad maximam iſtam Dominationis amplitudinem, quæ in hac totius Europæ luce eminet, mira quadam ratione proveherentur: tum vero tam late fuſam felicitatem, in unum Regali iſto Connubio contractam, quaſi ſpem magnam, & exploratam oſtentarent. Quæ quidem cœleſtis con-

ſilii

filii ratio, aut ego fallor, aut ex rerum eventis, ut mortalitas ista fert, res divinas æstimanti non poterit non plena ominis, atque admirabilitatis videri. Quod ut persequar aliquanto diligentius, contendite, quæso vos, recentem istam hinc Borboniæ, inde Saxonicæ Domus gloriam: Contendite, quæ populis utraque invexit bona: Tum contuemini, ut ad nos utraque collato veluti cursu deflexit. Intelligetis nihil esse, quod non simile prodigio: Nihil, quod non spei bonæ plenum videatur: Nihil, quod non certissima communium bonorum argumenta offerat, atque constituat.

V. In Gallicum Regnum HENRICO MAGNO Duce, quæ singularis fuit in eum Virum, Gentilesque ejus omnes, summi Numinis benevolentia, Borbonia Gens jam ante deducta est. Nihil de Familiæ gloria dicam: Pristinum illius Regni statum considerate. Quot ante procellis, quam turbulentis fluitare? quot externis, quot intestinis convulsum motibus, atque afflictum, suprema in dies macie deformari magis, & confici videbatur? Lugent adhuc earum

rerum

rerum historiæ: ac refugit profecto animus ejus ævi refricare cicatrices. Agite, conferte jam istam, quam videmus in præsens, & admiramur sub Regibus Borboniis Galliam, opulentissimam æque, ac florentissimam. Dubites, num domi honestior ea gens porro fuerit, an foris gloriosior? Num ipsamet sibi tantum indulgere, ac polliceri potuerit? ut sedes, ac domicilium existimetur, in quo virtus, industria, bonæ artes omnes, atque honestiores disciplinæ, quas intermortuas eluxerat, non modo revixisse, sed ad ceterarum quoque gentium invidiam, atque admirationem adolevisse, & effloruisse gratuletur.

VI. Verum oculos ab hoc Borboniæ felicitatis prospectu ad Saxonicam gentem, quæso vos, referte A A.: & simillimam, quam dixi, in adipiscendis, fortunandisque regnis collatam a Deo felicitatem comparate. Neque hic prisca illa commemorabo, cum ea gens continenti quadam dignitatis serie late diducta, non modo omnibus pene Europæ Regnis hærere visa est; sed avitæ potentiæ amplitudinem usque eo com-

pro-

probavit, ut summa, & ultro oblata sæpe fastidierit, ac recusarit Imperia: Quod, præter ceteros, geminum illum Fridericum, Saxonem, alterum cognomento Gravem, Sapientem alterum, fecisse cognovimus. (*a*)

VII. Recentiora hæc, quæ nostrâ memoriâ gesta sunt, revocate. Quid tandem? nonne Saxonicam felicitatem Borboniæ parem, ac prope geminam conspeximus; cum superiore sæculo vertente, FRIDERICO AUGUSTO frequentissimis Poloniæ comitiis præclarissimum illud Regnum vidimus sponte decerni? Quod, incredibili populorum studio prius delatum, uni tamen illi deferendum fuisse tum maxime patuit, cum ejus virtute, atque consilio tam longinquum, tam crudele bellum, tam longe, lateque dispersum, resedit repente, & in placidissimam ocii tranquillitatem cessit: Cum redditæ Regno leges, auctæ opibus Civitates, exculti bonis disciplinis Poloni omnes: Et, quæ potissima ejus laudum fuit, ejurata

(a) *Reusner. Leorin. de IMPP. Germ. Famil num. XVII. Wilbelm. Imbof. lib.4. cap.2. &c.*

ta ab eo hæresis, quam cum ipso nutricis lacte suxerat, atque in amplissimam familiam, magno Religionis incremento, Orthodoxa Fides revocata, non modo eximiam illam in eo animi magnitudinem, & acerrimam Mentis vim, atque Consilii omnibus approbarunt, sed æternam quoque apud posteros ejus nominis memoriam immortalibus monumentis consecrarunt.

VIII. At indiscretam hanc, & populis felicissimam utriusque familiæ similitudinem jamdudum gestit oratio graviore illa, ac propiore conjectura persequi, & informare, quam nuper obtulere fortunatissimi horum Principum Parentes, PHILIPPUS Hispaniæ, & AUGUSTUS Poloniæ Reges: e quorum sinu atque complexu CAROLUM, & MARIAM AMALIAM nobis decerpsimus. Quam auspicatum (boni Cœlites!) quam pene par in utroque, quam divinum felicitatis, gloriæque certamen! Borboniam PHILIPPUS felicitatem in Hispaniensi folio dudum collocavit: Saxonicam AUGUSTUS iterum Polono restituit. Utrumque Pax quædam opima, &

egre-

egregia quasi manu deducebat ad Regnum: Utrumque (ne forte triumphi laus abesset) tetra quædam bellorum facies parumper distraxit: Utrumque constituta populis tranquillitas, parta sibi victoria, gloriosius denique reduxit. Quem deinde senserit Hispania PHILIPPUM tanto jam se ipsa felicior; si ex me quæritis, verbo concludam: Eum sensit, qualem vos ipsi, dum illum commemoro, jam animo depinxistis: Eum, inquam, Regem, in quo naturam indoles, indolem majestas, majestatem Religio prorsus temperarit: ut magna semper molitus animo, nihil unquam, nisi Deo deductore, atque auspice, aggredi; nihil, nisi eodem comite, atque adjutore, gerere; nihil demum, nisi eodem suffragatore, & rectore, perficere jamdiu videatur. Qualem vero cognoverit Polonia AUGUSTUM, si breviter expediam, eum dixero, qualem, quantumque Sapientissimi Electores animo præsensere, cum Regnum illud, quod modo Pater obtinuerat, non dubitarunt subinde Filio deferre. Quo ex judicio tam gravi, tam amplo, tam inibi inaudito, si illum naturâ,

si institutione, si spe omnium optimum dicendum esse putabimus A A., nihil amplius de illo dicemus, quam eum fuisse, qui deligi ex omnibus debuerit. Atenim præstabilius aliquanto illud est, quod non ex omnibus modo, sed etiam proxime, & secundum Parentem deligendus esse existimatus est: apud studiosissimam præsertim, supra quam credi fas est, patrii moris, & avitæ libertatis nationem, quæ majorum instituto cautum, sanctumque servat, ne cui regnum videatur non tam decrevisse electio, quam successio quasi per manus tradidisse. Quæ plane leges quo minus AUGUSTO officerent, quam periclitata jam tum ejus virtus, quam certa bonorum ingentium spes fuerit necesse est! ut profecto concitatam a se expectationem sustineat ille quidem, ac tueatur, dum concussam Poloniam intestino isto, ac domestico bello, cujus cruda, & recens memoria est, tantopere pacare, componere, confirmare studet; sed olim spem illam superare vix Princeps Optimus posse credatur.

IX. Verum diutius fortasse, quam opinio

nio ferebat, Parentes feliciſſimi orationem tenuere: Cum per eoſdem præſertim dies initiatus jam a PHILIPPO CAROLUS, atque ad nova Regna informatus, Borboniam huc felicitatem deduxiſſet. De quo ſi nihil addi præterea a me poſſet, ingens tamen, ut puto, bonorum noſtrorum argumentum foret admirabilis illa, quam audiſtis, continuatio, serieſque felicitatis, quam & accepit a majoribus, & ipſemet amplificavit. Quid quod hoc recenti Conjugio e Polonia MARIAM AMALIAM huc advocari vidimus? quaſi vero, quæ ante felicitas in plures familias ſparſa fuerat, ac diducta, novo tandem fœdere copulata, in unam, eandemque coaleſceret. Fuit enim A A., fuit Regiis quibuſdam Familiis non ſolum ad res magnas bene gerendas, verum etiam ad Populorum commoda, & utilitates procurandas quædam divinitus adjuncta fortuna: quæ profecto Familiæ, ut ex veterum monumentis cognovimus, aliæ ſubinde, aliis ætatibus ab illo rerum omnium Moderatore Deo attributæ fuerunt. De Regia, nunc Saxonicæ, Borboniæque Gentis felici-

C 2 tate

tate hac utor moderatione dicendi, non ut aliis negem Regalibus Familiis, quas eximie colo, & veneror, arridere bonos Superos, & suffragari; sed ut hæc recentia exempla Felicitatis Borboniis, Saxonicisque dumtaxat Principibus peculiaria esse affirmem: tum vero tantam, tam consimilem fortunæ societatem, non nisi Divino quodam numine, ante has nuptias putem contigisse. Nisi vero putemus, aut sine Dei consilio dispensari tot Regna potuisse: aut tantam gloriæ, tantam felicitatis similitudinem temere, & casu aliquo obvenisse: aut non Deo provisam, ac præstitutam hanc utriusque Familiæ conjunctionem, cui tam recens honoris accessio inopinatis quibusdam gradibus muniebat viam. Divinasset enim nemo, cum, Augusto Poloniæ Regnum ingrediente, tantopere diffidere Saxonica, & Borbonia gens inter se videbantur, confecto demum bello, inde Reginam huic Regno petendam, unde totius belli impetus erupisset. Nunc vero in eo ipso illustrem divinæ Potestatis, & Sapientiæ vim quis non dignoscit? quæ cum semper consuevit

ini-

initia, progressusque rerum ad summam aliquam ante destinatam referre; tum has rerum vicissitudines, latente quodam nexu causarum, ita administravit, ut & Regales has nuptias paulatim apparasse, & earum faustitatem nobis auspicatissimam in ipsa aequalitate fortunae, in tam simili utriusque familiae gloria, in tot ante populorum felicitate aperte praesignificasse videretur.

X. Atque haec fere omnia fuerunt, quae, si nunc intimos animorum nostrorum sinus cogitatione disquirimus, auditâ hujus connubii famâ, spem tacitam nobis objiciebant ingentium bonorum, & tam effusa illa gaudia concitabant. Cum enim, ut ajebat flos ille ingenii, ac doctrinae Socrates (*a*), ii demum Principes Optimi putentur, atque exoptentur ab omnibus, qui & ipsi Felices sint, & suos possint facere Felices; utrumque hoc decus Borboniae, & Saxonicae gentis proprium, ac peculiare jamdudum esse nobis Deus praemonstrarat: Utrius-

(a) *Apud Xenoph. lib. 3. Memorab. Socratis sub initium p. m. 478.*

triusque porro gentis felicitatem in CAROLO nuper, atque in MARIA AMALIA simul condonaverat.

XI. Verum quid attinet diutius bona nostra conjecturâ prospicere, quæ in his plane Principibus coram intuemur? Quæro enim, qui tandem illi esse putandi sint, quos tanta auspiciorum communio portendebat: tanta æquavit conjunctio virtutis: tanta denique omnium expectatio, ac fiducia prosecuta est? Utinam A A. eos ipsos Reges liceret novorum Conjugum laudatores producere, qui maxime auctores Conjugii fuerunt! Utinam AUGUSTUS ille aperiret, quæ animi, quæ naturæ ornamenta suspexit in CAROLO, cum eum sibi Generum adlegit, cui suas delicias AMALIAM desponderet! Utinam ex PHILIPPO disceremus, quid tantum in AMALIA viderit, cur illam tam amanter expetiit, tam studiose CAROLO adjunxit! Quid? Ipsa quoque ELISABETH, præclarissima Hispaniarum Regina, ipsa etiam MARIA JOSEPHA Poloniæ, quas profecto feminas supra muliebrem conditionem,

& se-

& sexum incredibilis quædam virtus animi, & sapientia altius evexit, quam mirifice, pro singulari studio, quo illa CAROLUM, hæc AMALIAM, nunc ambos ambæ complectuntur, nobis audientibus judicium quoque suum gratularentur! Etenim si, quæ Parentes Augustissimi invicem admirari, atque amare taciti potuere, hæc proferre in medium vellent; videtis A A. quanto etiam liquidius bona hæc nostra ex tantis auctoribus intelligere possemus.

XII. Quamquam hæc nos ipsi nonne, satis jampridem intelligebamus? ut enim nunc cetera sileam: Principum præsentiam, firmumque in hoc Regno Domicilium quot antea votis, quam diuturnis, quam publicis expo{s}cebamus? Quis non jamdiu videbat, quantopere ad publica Regni commoda pertineret, ut Principes ipsi coram rebus interesse, ut per se tenere clavum, ut gubernacula tractare proxime possent? Sic enim homines sumus: Locorum illa longinquitas, quæ corpora disjungit, abstrahere, fere animos etiam consuevit: Neque e longinquo occurri publicis calamitatibus commode

mode poteſt, quarum ſenſus hebes, ac levis pertinet ad abſentem: neque diſtribui facile præmia virtuti, ac benefactis, quorum fama fere nulla, raro integra peregrinatur. Scilicet Sol etiam ille Parens lucis, & aſtrorum Princeps, quo nihil eſt vel ad aſpectum pulchrius, vel ad rerum gignendarum varietatem fecundius; quique Regiæ dignitatis illuſtre exemplar eſſe viſum eſt (a), cum tamen ab his, quas incolimus, terræ plagis annua converſione receſſit, vitalem quoque illam vim, ac ſalutarem corporibus, ſubtrahit ſenſim, atque alias in terras longe transfert. Inde abſentiam ejus ſideris ſentire animantes languore quodam, ac macie ſolent: Tellus etiam ipſa brumali frigore, inertique illo torpore contracta, graviſſime ejus ferre deſiderium videtur. Quamobrem quam prolixe poſſem in hac una Principum præſentia gratulari A A.? Quot recenſere bona, quæ in ea inſunt, & continentur? Quam magnifice illud prædicare, publicam rem

(a) *Hoc in Urbe Princeps, quod Sol in Cœlo. Plutarch. libel. ad Princ. inerudit. p. m.* 280.

publicam rem deinceps, Fortunamque Regni ita procurandam ab optimo Rege, tamquam in Filiis, Nepotibusque hæsuram: quippe qui non temporarium imperium, ignotis subinde hominibus, aut fortasse, invisis se traditurum, sed in Filios carissimos, atque in Stirpem florentissimam, transmissurum se videt perpetuam potestatem.

XIII. Verum spirat profecto in his Principibus augustior quædam, ac major felicitas, & clariora prælucent publici commodi lineamenta: Quæ utinam ita saltem ponere ob oculos possem, ut nos ipsi gerimus in animo! Hic enim, si unquam alias, hanc orationis duritatem, & quasi tristitiam, doleo: cum opimo maxime, ac tereti dicendi genere opus haberem, quo Principum laudes non tam deterere, quam prosequi videar. Faciam tamen, quod solent ii, qui metallorum causâ terræ viscera, & fibras intus inquirunt: qui satis aliquando habent, auri, argentique venas uberes deprehendisse, quin curent effodere, quod inventum jam, ac repositum sufficere ad divitias arbi-

trantur. Ita prorſus non tam laborabo, quid, & quantum boni habeamus depromere: quam, unde potius, & quam certis ex fontibus habeamus.

XIV. Ego enim ſic intelligo, ad publicam felicitatem Principes Naturâ primum conformari: illuſtrari deinde Fortunâ: Virtute demum perfici, ac perpoliri. Quid autem iſti ex natura hauſerint ad populorum bona, veſtrum patiar eſſe judicium: Qui egregiam, vividamque indolis lætitiam, qui natum imperio animum, qui præclaram, ingenii temperationem, atque opportunitatem, multis jam rebus intellexiſtis. Neque eam loquar, quæ ad naturam acceſſit, illuſtris, & plane Regia ratio, conformatioque diſciplinæ: unde fieri conjectura poteſt, ſi tanta jam annos tempeſtivitas morum præcucurrit, quid ſit futurum, cum ætas maturior acerbiorem omnem ſuccum, & viriditatem decoxerit. De Fortuna vero neque attinet dicere: quam inſtitutis multo ante curſibus huc uſque hos Principes vel deduxiſſe, vel proſecutam eſſe meminiſtis. Virtutis modo ornamenta illa, quæ plurima.

ma ſunt, & maxima, quamquam ea quoque in oculis omnium verſantur, tamen a me prætereunda in dicendo non ſunt. Sæpe enim tacitus cogitavi, ſi mos ille hodieque viveret, ut Virtutibus Principum publice ſimulacra ponerentur, quemadmodum ad honeſtandam Cæſaris lenitatem, olim Romæ Ædes Clementiæ decreta eſt (a), quanta omnes dubitatio inceſſeret, quam potiſſimum Caroli, atque Amaliæ Virtutem dedicandam putarent? Alii fortaſſe, Pietati, ac Religioni primas deferrent: quæ Regnorum felicitates ab illo bonorum omnium Auctore Deo exorat eo facilius, quod illi Reges ipſos pure, ſancteque devovet, atque obſtringit. Quantam porro hi Principes adverſus Deum, ac Superos pietatem, quantum in res ſacras cultum, atque obſervantiam a pueritia imbiberint, quis tam hoſpes eſt, qui ignoret? Novimus legitimas illas certis horis quotidie preces: Novimus, quantus in vultu pudor, quanta in ore modeſtia, quanta in habitu, ſtatu-

(a) *Plutarch. in Cæſare.*

que corporis reverentia, cum vel Rei Divinæ quotidie adesse de genu, vel Sacramento expiare animi maculas frequenter consuevere. Vidimus, cum vel supplicationibus publicis interfuit, vel aliis Religionis nostræ cæremoniis, quantum Rex unus præbuerit singulari quadam pietate spectaculum: Quantum, cum sæpe, omissa honestissimæ Venationis amœnitate, Magnæ Matris templum religiose adit supplicaturus. Quid tum donaria referam Superis consecrata? Quid cetera, quæ innumera sunt, Religionis ubique impressa vestigia? Quæ tametsi admirabilia esse inficiabitur nemo; tamen putabit fortasse quispiam, tum has præhabendas esse virtutes, quæ clam instituunt Regem, ut Deo pareat religiose (quanquam & istuc ad interiorem quamdam animi formam, ac recessum videtur omnino pertinere): tum vero virtutes fortasse illas publice, ac studiosius exoptari, quæ ita Regem aptant, ut sibi imperet moderate, ut amanter dominetur in suos: quorum alterum in vitæ innocentia, alterum in imperii æquitate constituit maximum publicæ

cæ felicitatis robur, ac præsidium.

XV. Verum de innocentia quidem, morumque integritate quid ego plura prædicem? quæ ut sapientibus viris non una virtus visa est, sed quædam omnium complexio virtutum; ita in omnem late vitæ partem fusam esse non sine singulari horum Principum laude omnes fatemur. In ore sane, atque in sermone omnium jamdiu est, nihil fere per hos dies in hac urbe sanctius visum esse, nihil tam ab omni non modo corruptela, sed etiam suspicione solutum, ac liberum, quam Regium adolescentis Principis Domicilium. Audiet certe non sine quadam admiratione futura posteritas nullam illuc licentiam, nullum non modo vitium, sed ne vitii quidem umbram, pervadere unquam potuisse: Id præsertim ætatis, ex qua nescio an plurimi emergere ad bonam frugem denique potuere: his etiam sæculi moribus in deteriora vergentis, qui ad nimiam licentiam, levitatemque late incumbunt; Adolescentem tamen Regem nihil habere antiquius, quam ingenua pudoris insignia, maturæque verecundiæ, ac tem-

temperantiæ ornamenta. Quibus plane, ut adverso sole nubes quadam lucis communione colorantur, hanc ipsam Urbem illustrari nuper quoque sensimus A A: cum Rex præclarissimus, ingenti cum omnium gratulatione bonorum, omnes prostratæ, vulgatæque pudicitiæ feminas ita insectatus est, ut quod fieri plerique negabant posse, mœnibus denique interdixerit, Urbemque totam tetra illa impurissimi gregis colluvione purgarit. Quam interim illud dulce omnibus, quamque jucundum, quod Pios Principes, quod Innocentissimos, mutuis sermonibus, quodque amplius est, tacitis etiam judiciis comprobamus! Quam pene inauditum, cum illis per Urbem invectis (quod Alexandro Severo, atque Antonino Pio Augustis non sine assentatione factum audivimus) affusa sæpe ad spectandum multitudo lætis subinde vocibus illud inclamat, Pie Auguste, Superi Te servent! Te fortunent Superi omnes, Innocens Auguste! Atque inter hæc nihil tam ex animi sensu nos loqui, nihil tam vere Principibus attribuere, quam istam Pietatis, & Innocentiæ laudem arbitramur.

XVI.

XVI. Quamquam quod poteſt eſſe illuſtrius documentum egregiæ Pietatis, quam iſthæc ipſa æquitas, ac moderatio imperandi? Quæ tanta profecto eſt, nihil ut doleam, me pro rerum magnitudine paucam dicere, quod ſentiam in hac veræ laudis perſpicuitate, multo plura, quam dico, vos pro veſtra prudentia intelligere. Repetere enim vos ipſi memoria poteſtis, quantum conſilii ſpecimen præ ſe ferre CAROLUS ſoleat ad inopinata quoque eventa rerum: quantam in cogitando prudentiam, in dijudicando perſpicaciam, in decernendo maturitatem. Habuit ille quidem a natura ad miſerendum, ac benigne faciendum omnibus miram animi propenſionem, qua commoveri eum acerrime ſuorum calamitatibus, aut periculo aliquo vidimus: hanc tamen ipſam ita ſapienter temperat, ut, quæ ſumma demum bonitas eſt Principis, animi lenitatem ſingulari quadam mentis altitudine moderetur. Hinc tanta illa clementiæ laus, ut ſola omnium benevolentiam ſibi adjunxiſſe: Tanta rurſus juſtæ ſeveritatis, ut nullam benevolentiæ rationem duxiſſe vi-

videatur. Itaque hac etiam ætate illa duo feliciter conjunxit, quæ ſæpe neſcio quo indolis diſſidio abjuncta, ſi coaleſcunt ambo, mutuam in ſe lucem ex oppoſitu, & conjunctione refundunt, Principis, inquam, auctoritatem, & Publici Parentis benevolentiam. Adjicite vos præterea A A. tot illa, ac tanta Regalis Providentiæ, Liberalitatis, Beneficentiæ monumenta: quæ in animis veſtris, ut par eſt, altius defixa, taciti, ut video, colligitis. Adjicite comparatos ubique, munitoſque aditus ad exercenda commercia, & captatas late quæſtus publici, compendiique opportunitates: quibus affectæ jamdiu, & comminutæ hujus regni opes, convaleſcere paulatim, & conſtitui optime incipiant. Ac dum cetera, etiam præterimus, ſincerum illud laudis genus perſolvamus optimo Regi, quod ex Auditorum conſcientia magis, quam ex dicentis voce repetatur. Tum illud reputemus, quanta denique, & quam eximia putanda ſit hæc omnis bonorum magnitudo, quam neque obſcure Deus immortalis præſignificavit; & Principes præſtantiſſimi, quos huic

huic Regno jamdiu optabamus, tam certis quoque rationibus ſuſtinent, & confirmant.

XVII. Illud unum adeo ſupereſſe videtur, ut tam firmis excitata fundamentis, & conſtituta felicitas, quam diutiſſime perſeveret. Verum hæc etiam bonorum diuturnitas, quæ altera Felicitatis pars eſt, ſi quid futura præcipere animo mortales poſſumus, hoc Regali Connubio non modo adpromitti, ſed oſtendi quoque videtur. Quo in loco cum mihi non tam, ut copiam, & varietatem conſecter, laborandum ſit, quam ut effugiam ſatietatem; rem hanc tantam preſſius attingam, paucisque concludam. Quamobrem ſic habetote A A.: Cum geminum illud ſit, graviſſimumque ſecuræ diuturnitatis præſidium, ſingularis Amor Populi, & bene, ac ſalubriter conſtituta Regni Adminiſtratio: quarum rerum altera omnes omnium animos Regi ultro dedere, ac volentes ſolet obſtringere: altera deditos, obſtrictoſque moderari amanter, ac firmiter continere; utraque res certe quidem cum ſemper alias, tum vero hoc tempore,

ejusmodi est, ut vix ad horum perennitatem bonorum cogitari quicquam illustrius, aut jucundius posse videatur. Quid enim (ut, quod hodie sæpe facio, plurima prætermittam) quid nisi amorem testari suum, ac benevolentiam loqui incredibilem videtur per hos dies hoc amplissimum nobilissimæ Urbis Theatrum, ad honestandum Reginæ optatissimæ adventum immensis publici ærarii sumptibus, ac singulari omnium Civium voluntate comparatum? Quid luxus? Quid splendor? Quid populi alacritas? Quid iste omnium hominum, ordinumque concursus, qui inusitato plane gaudiorum genere in summa propemodum voluptate bacchantur? Hæc profecto præclarissima est, Auditores, regnandi ratio, non tam armis mœnia Civitatum, quam animos Civium benevolentia cœpisse (*a*). Hoc potissimum Regni præsidium, cum una omnium vox est, ut & Superos adesse Regibus, & Reges perdiu nobis superesse exo-

(a) *Isocrates ep. 2. ad Philipp. p. m.* 410.

exoptemus (a). Ut enim malus Custos diuturnitatis est Metus, quod gemini illi eloquentiæ Parentes sancte monuerunt (b); Ita contra quo longius a metu abest, hoc fidelior est Populorum benevolentia ad Regni perpetuitatem. Quid vero est in vobis Principes suavissimi, quod non mirifice Populi, quod non effusissime diligant? Diligunt enimvero incredibilem istam vitæ honestatem, gravitatem, integritatem, in omni virtute, officioque constantiam: Diligunt ardens, & experrectum incolumitatis publicæ, tranquillitatisque studium: Regiam quoque istam diligunt in cultu, apparatuque, in sumptuosissimis etiam substructionibus magnificentiam: quæ tametsi videtur tota vel ad voluptatem Civium, vel ad Regiæ Majestatem Dignitatis referri; hoc tamen tempore, quo publica quædam calamitatum incursio misere flagellavit annonam, ad sublevandam Populi inopiam mirum quantum valuisse visa est. Nisi vero

(a) *Aristid. in Romæ Enc. p. m.* 107.
(b) *Tull. lib.2. Offic. n.23. & Demosth.2. Olynth.*

id habet peculiare ac ſuum amantiſſimi Principis magnificentia, ut regium quoque inſtructum, atque ornatum ipſum, ad ſuorum commoda referre amet, ac neſcio quo pacto facere auctiorem. Qui enim mente, ac cogitatione perluſtret, quæ, & quanta ad hujus Regni, Regiſque Majeſtatem brevi intervallo excogitata vidimus, inchoata, atque perfecta; næ is dubitabit, opinor, vehementer, num glorioſior Principi hæc regni tractandi ratio, an populo fructuoſior cenſenda ſit. Non modo enim domeſtica privatorum utilitas, ſed communis omnium tranquillitas, ac priſtinus ille præclariſſimæ hujus Urbis, Regnique ſplendor, tanta profecto conſilii vi, tanta legum æquitate, tam effuſis quoque ſumptibus fundata, & conſtituta ſunt, ut ad certam perennitatem nihil dudum videretur, niſi hæc ſupereſſe arctiſſima hinc Hiſpanici, & Gallici, inde Saxonici, & Auſtriaci ſanguinis cognatio: quæ Regia denique connubii fide, ſacroque Religionis Myſterio conjuncta, ac firmata eſt.

XVIII. Quod qui ſubtilius requirere, in-

inſtituat, ita plane reperiet, multis jam, ſæculis hanc Urbem ad tantam amplitudinem, ac dignitatem nunquam emerſiſſe, quantam brevi, hoc Rege, eſt conſecuta, atque hac etiam nuptiali pompa nationibus exteris nunc ipſum objicit ſuſpiciendam. Neque enim hæc ipſa tot Oratorum celebritas, qui ab ampliſſimis Regibus, Rebuſque publicis legati ſunt: hæc etiam advenarum, & externorum confertiſſima multitudo, qui viſendi ſtudio confluxere, ad inſtruendum modo pompæ apparatum faciunt: neque ſolum illud prope ſilentio admonent, ut ſeſe ipſa Neapolis aliquando norit, cumque ſe nunc perſpexerit, totamque tentarit, intelligat Sedem jam ſe a præſtantiſſimo Rege adlectam, Urbem florentiſſimi Regni Caput re ipſa, ac Principem, quo veluti in aram populi confugiant, & quaſi Templum amplitudinis, mentis, conſilii venerentur: Sed eo quoque hæc frequentia pertinet, ut ipſi etiam alienigenæ jam intelligant, quam brevi tempore, quam digna hoc Rege, quam digna hoc Regno hæc tam præclara, tamque frugifera adminiſtrandi ratio ſuſcepta

ſit,

ſit, & conſtituta. Etenim, ut ſæpe ad noſtras aures externorum Regum res geſtæ ſolent accidere, ſic renuntiabunt & illi quidem patriis terris hanc in ipſo Aulæ ſinu ortam, eductamque æquiſſimæ Moderationis formam: tum ad ceteros quoque Magiſtratus, quaſi per gradus, ex Aula traductam: denique ad omnes ordines, ſalutaris inſtar, vitaliſque ſpiritus, late diffuſam. Quæ quidem quanta cum laude fama emanatura ſit, vos quæſo, perpendite: cum illud diſſeminari longe lateque cœperit, ad publica ſalutis omnium momenta procuranda eam adeſſe CAROLO ſummorum virorum coronam, quibuſcum nemo ſit uſu rerum, nemo integritate, fide, ſapientia comparandus: quibus auctoribus, quæ ſuopte ingenio ampla, & magnifica molitur, perficiat commodius, atque abſolvat: ut plane, quæ eſt ad bene, beateque imperandum civilis prudentiæ ſumma, non ex animi unius ſolertiâ ſapientia Regis pendenda ſit; ſed quotquot habet conſilii participes, atque adminiſtros, totidem pene animos in ſe unus complecti, atque omnium ſapientiam

tiam videatur ſuam, propriamque feciſſe.

XIX. Quid tum publica Regni munia? quorum multiplex illa, & implexa ſeries, ita in certos, ratoſque ordines, & multo, quam ante, aptiores, diſpenſata, ac deſcripta eſt; ut & ad auctoritatem cumulatiora, & ad res bene gerendas longe ornatiora eſſe intelligantur. Cum præſertim (quod omnium jam ſermone teritur) ad eos honorum gradus hoc Rege aditus nonniſi optimo cuique pateat, immanſuetis,inexploratiſque ingeniis præcluſus omnino, atque præſtructus. Quo omnes plane ſenſimus, hæc omnia tam apte tribuere potuiſſe, tam mature digerere, ſingularis cujuſdam fuiſſe ſapientiæ: ab omni etiam metu, & gratia abſolviſſe, æquitatis: nonniſi probatiſſimis denique viris demandata voluiſſe, divini profecto conſilii, integerrimique Principatus. At quæ demum iſthæc acerrima quoque Fori, Judiciorumque, emendatio? Quam exoptata bonis omnibus, quam conſentanea diſtrahendis brevi controverſiis, quam apta moderandis immenſis litium jacturis, infinitiſque ſumpti-

bus

bus ratio præſcripta eſt! Quæ ſancitæ præterea leges, ac latæ ſalubriter ſunt hoc tempore! Ut tantarum rerum opportunitas, & ſtatus optime conſtitutus, non modo per omne hominum genus publice pertineat, verum etiam convelli, ac labefactari nullo unquam tempore, nulla vi poſſe videatur. Si enim hæc initia novi Regni contuemur: ſi rerum geſtarum magnitudinem cum temporis brevitate contendimus: ſi hanc denique rerum omnium temperationem, uſumque animadvertimus; quis non diuturna, modo hæc, quæ tenemus, bona, ſed multo etiam præſtabiliora in poſterum non ſpe certa præcipiat? Quis ex hac herbeſcentis prope adhuc, ſeſeque exerentis teneritate felicitatis non auguretur, quantæ olim, cum ſe annis corroboraverit, quam plenæ utilitatis, ac dignitatis fruges ſint extituræ?

XX. Quæ A A. ampliſſima illa eſt, ac lætiſſima, quam dicebam, bonorum ubertas, & copia, quam hoc regali connubio partim maturuiſſe, partim in ſpem minime dubiam adoleſcere, & nos ipſi ſentimus, & nemo exterorum quoque eſt, quin intel-

ligat.

ligat . Quorum plane bonorum , ſive amplitudinem ſpectes, ſive diuturnitatem intueare ; abſoluta profecto ſpecies elucebit Borboniæ illius felicitatis , quam Carolus ante invexit. Neque enim fruſtra nobis hoc Regale Conjugium auſpicatiſſimum fore divinitus prænunciavit conſenſus ille conſpirans, ac pene conflatus tanta prope æqualitate Borboniæ , Saxonicæque Fortunæ: Neque iſtuc ipſum non apertiſſime Regiorum etiam Conjugum auguſta virtus declaravit: Nec denique, niſi cœleſti nutu, atque conſilio, Populorum hæc benevolentia in Regem, hæc Regis amantiſſimi in populos divina Moderatio confirmant: Ut dubitare unus jam poſſit nemo, quin hæc præſtantiſſima tribuenda ſit Regi optimo laus, ut putemus, his recentibus Nuptiis Borboniæ illum, Paternæque Felicitati, noſtram denique Felicitatem, quaſi cumulum, adjeciſſe.

XXI. Quibus omnibus quanta per veſtram fidem dignitatis, ac ſalutis acceſſio etiam fiet, cum, id quod omnes enixe ap-

F pre-

precamur, numerosam ex hoc connubio, similemque Parentibus prolem Regii Conjuges, Deo nobis annuente, susceperint! Huc enim jam Populorum desideria incumbunt: huc bonorum omnium preces, ac vota referuntur. Videas quamprimum, REX OPTIME, quem lætus designes Tibi, ac Regno successorem, serum illum quidem, & multa prius, ac diuturna Patris institutione conformatum. Videat deinceps longa abs te Regum series pacatissimum Regnum, neque conservatam modo, sed magis magisque auctam, quam præclarissime constituisti, Felicitatem: ut quemadmodum Tu ipse per te optime de æqualibus, ita per tuos de posteris quoque meritus fuisse videare. Hoc omnium, inquam, votum est: hoc nostrum etiam præcipue, quotquot Societati Jesu nomen dedimus: Qui tametsi hujusce regni pars sumus fortasse levissima; vix tamen quisquam erit, cui, quod possumus, de obsequio Borbonii, Saxonicique nominis, cultuque concedamus. Vivit apud nos eorum promeritorum,

torum, ac vivet ſane memoria ſempiterna, quæ in noſtrum Ordinem HENRICUS in Gallia, quæ tres deinceps LUDOVICI contulere: quæ in Hiſpania PHILIPPUS: quæ duo etiam in Polonia AUGUSTI: ut ceteros ex utrâque gente prætermittam. Quæ Majorum merita ſi ad Vos, AUGUSTISSIMI PRINCIPES, jure quodam Sanguinis pervenere: ſi ea etiam, quæ vel temporum, vel locorum longinquitas ab oculorum conſpectu ſubmovebat, vos ipſi nobis coram repræſentatis: ſi tueri illa denique hac Regia benevolentia, & fovere cœpiſtis; videtis, opinor, qui ſenſus, quæ mens, qui animus erga Vos noſtræ debeat eſſe Societatis. Quod ſi neque Fortuna veſtra patitur, nec noſtra ſuggerit remunerandi copiam; quod modo poſſumus, rerum omnium Auctorem DEUM omnibus precibus propitiatum univerſi flagitabimus, non ut has modo Nuptias ſecundare pergat, ac Liberis augere; Sed ut conatibus etiam, ut optatis, ut cogitatis veſtris, ad omnium commoda, ad Regni ſplendorem, ad ve-

F 2 ſtri

ſtri celebritatem nominis immortalem,
quam amantiſſime adſpiret ſemper,
atque
obſecundet.



EPI-

XLV.

EPITHALAMIUM

Habitum a Joanne Maturantio ejusd. Societ. Poetices Professore.



Venere: rotam clavo Fortuna fugacem
Sistit io, nostrisque volens in finibus haeret.
Scilicet haec nostris deerat pars ultima votis,
Ut starent bene coepta: eademque ut fata nepotes
Exciperent, quibus haec assurgere coeperat aetas.
Aurea Tyrrhenas cum Pax venisset ad oras,
Regalemque manu Juvenem per martia ductum
Agmina, Chalcidicis jam concessisset habendum
Finibus: illaeso fluerent cum publica cursu
Commoda, & optato gauderent Principe Cives;
Unica solicito stringebat pectora morsu
Cura, brevi ne forte haec tanta exordia rerum
Effluerent ne forte morâ: praesentibus annis
Sat CAROLUS, licet unus, erat: sed, ut ista tenaci
Foedere in aetates fortuna excurreret omnes,
Non satis unus erat CAROLUS: regnabat in aula

So-

Solus, & ex uno pendebant omnia voto.
Nullus adhuc, patriæ specimen virtutis, & hæres,
Per fasces reptare Puer gaudebat, apertos
Patris in amplexus; cui jure adscripta paterno
Sceptra resignaret, dein regnaturus in illo.
Erigit hanc quoque spem, flammisq; jugalibus Hymen
Augustum incendens thalamum, qua parte vacabant,
Vota implet: Regumque jubet sperare Parentem,
Quem lęti Regem aspicimus. Perge, Optime Princeps,
Gentis in occursum, quando jam Regia complet
Sponsa tuum Te digna latus: jucundius in Te
Lumina jam populi figent, dum bina tueri
Ora licet, studiis, nodoque adstricta tenaci:
Dum vestram in Vobis prolem, Regumque videmus
Innumeram vestra seriem de prolę futuram.
Ac mihi, dum faciles tanta ad connubia Musas
Advoco, Regales Animæ: castique Hymenæi
Qua face succensus, quo numine inarserit ignis,
Aggredior cantu, Vos adspirate canenti:
Vos date per vestras tutum discurrere laudes;
Quosque Aganippei collegi e margine fontis,
Regalem circa Thalamum conspergere flores.
Non mihi nunc primum patrio lætissima vultu
Parthenope occurrit: non hæc insueta videri
Gaudia sunt, totam quæ circumfusa per Urbem,
Mille

Mille modis animi sensus testantur ovantes.
Jam seges ad quintam producta est annua falcem,
Ex quo lætitiæ patuit via: Vidimus olim
Sub populo latuisse vias: quæque altius Urbi
Instabant, gemuisse gravi sub pondere tecta.
Tunc & festivo fremuerunt compita plausu,
Ominaque, & fausti voces præsagia regni
Effusæ; cum hostes, vel citra prælia victos,
Longius avertens, patriis metuendus in armis,
Plus cœli tamen auspicio, fideique suorum
Præsidio tutus, revocantem CAROLUS urbem
Attigit, ac solio successit victor avito.
Tum caput evexit vicino e gurgite Siren,
Pars quondam Imperii Siren, Gentisque remotæ
Hospitium, jam Rege suo, veterique potita
Imperio: & posita, qua crines cinxerat, alga,
Excepit victrix redivivæ insignia laurus.
Ipse etiam pater ipse suo Sebethus ab alveo
Exiliit, gaudens fato meliore vocari
E Socio Princeps: *nec inanem nomen in umbram*
Desiit: experta est vel primo Patria lustro,
Regia quantum Urbi Majestas addat honoris.
Quam grave consilium rebus, populisque levamen
Adjiciat mens præsentis bene provida Regis.
Sancitæ leges: Themidem penes omne relictum

Arbi-

Arbitrium in leges ipsas: revocata vetustum
Pallas in hospitium: virtus, quæcumque jacebat,
Ad summos evecta gradus: quæque ipsa paternum
Principis ostentant animum, spectacula passim
Edita, & antiquis sedes mutata theatris,
Omnia præsentem testari Commoda Regem.

Publica dum facies erat hæc lætissima rerum,
Officii Siren haud immemor, arbitra quando
Euboici jam jura maris, sceptrumque tenebat:
Sebethusque pater, cui circum regia tandem
Laurus inumbrabat ripas, sua reddere Cœlo
Munera certabant votivis credita signis:
Altera in augustum sinuata corallia sertum,
Alter viminea textam de fronde coronam,
Fortunæ ad Templum votum commune ferebant.

Pars ea, quæ latus occiduum complectitur Urbis,
Collem habet, arridens vultu quem semper amico
Jucundos Natura loci formavit in usus,
Pausilypo nomen colli: vicinaque Tethys
Alluit, & placido lambit vestigia fluctu.
Alta jugi Fortuna tenet: dixere priores
Nomine Chalcidicam; populi namque inde precantis
Excipit, atque implet successu vota secundo.
Pro solio Templum est centum sublime columnis,
Cui primi ære rigent postes, cui marmore secto

Inti-

Intimus exultat paries. Longissima rerum
Aut ope dædalea, aut pictis animata tabellis,
Objicitur circumseries: quæcumque beatam
Hanc fecere urbem belli congesta, domique
Ornamenta suis hærent descripta figuris,
Ipsi præcipue, primos quicumque per annos
Hìc solium tenuere, adstant longo ordine Reges:
Quos inter, flammas velut inter luna minores,
Emicat Alfonsus: sacram cui bellica frontem
Laurea palladiis intersita frondibus ambit.
Parte alia insignis galea, strictoque decorus
Ense, nitet CAROLUS; primos qui prævius Andes,
Unde genus, nomenque habuit, Sirenis ad oras
Intulit, & regni nova fundamenta locavit:
Jamque intra sedem excepti Sebethus, & unà
Parthenope, rerumqne diu monumenta suarum
Mirati circum, simul utile Numen adorant,
Serta simul votiva addunt: quæ fronte serena
Excipiens Fortuna, illa dat sede locari,
Regum ubi in adverso stabant Simulacra: superbum
Unde genus traxit, magnique exordia regni
Borbonides Juvenis; per quem sibi reddita tandem
Parthenope fasces, primævaque Sceptra resumpsit.
Tum sic aggreditur, dictisque affatur amicis:
Plaudite felicis Genialia Numina regni,

G *Plau-*

Plaudit ejam, cœptisque diu gaudete secundis,
Quod superest: neque enim magnum est habuisse fugaci
Gaudia mox abitura gradu. Quando omnia tempus
Eripit, incertoque fluunt mortalia cursu;
Magna secundarum pars est constantia rerum.
Usque adeo accepto gaudetis Principe? tantus
Ille amor est vestræ, columenque, & gloria gentis?
Huc animos, huc ergo extrema advertite vota:
Ut Juvenis, magni soboles Patris, ipse vicissim
Gaudeat & magnæ Sobolis Pater esse, novosque
Adjiciat Reges, quibus immortale perennet
Imperii decus: atque alte radicibus actis,
His commissa semel virescant lilia campis.
Conjugio stant regna: tuis, age, provida rebus
Hac ope præsidium, proles Neptunia, quære,
Nam potes: ad solium supplex accede Pronææ,
(Nota tibi est, quamquam multis impervia, sedes)
Atque ibi, spem populis addat, similisque, precare,
Accedat thalamo Conjux: numeroque fruatur
Aula suo, & faustæ succrescant omina prolis.
Dixerat: arrisitque bonis lux aurea dictis
Augustam subito discurrere visa per ædem.
Tum Siren: quæ, Diva, mones, nam lumine certo
Sæpe soles rerum seriem explorare futuram,
Exequar: atq; utinam tua rursum in templa reducar
Læ-

Lætior, & votis cumulem majoribus aras.
Nec mora, cæruleum ascendit maris arbitra currũ;
Alatosque manu stimulans delphinas in altum
Provocat, & rapido fertur per inania cursu.
Jam mare nativum, jam regna, urbesque recedunt
Ex oculis, puroque repletas æthere sedes
Sponte recedentes tacito secat impete: jamque
Pleiadasque, hyadasque supra, geminosque triones
Evecta ingreditur vasti confinia regni,
Humani quæ nulla notant vestigia gressus.
Prima loci facies altæ caliginis umbra
Circumsepta latet: tenebrosaque mœnia surgunt
Hinc atque hinc complexa arcem; quæ fraudibus ullis
Haud patet, & vires omnes immota retundit;
Audentesque inferre pedem sacer ilicet horror
Abstinet ingressu, cæcoque in limine sistit.
Arcis in excelso solium tenet arbitra rerum
Alma Pronœa, orbi quo nec præsentius ullum est
Numine, nec magis occultum: quascumque videmus
Hìc regnare vices, illinc partitur, & omnes
Ipsa immota movet cursus: stant omnia circum
Tempora, & insueto coeunt præsentia nexu:
Stant lauri, fascesque, & mille insignia, legum
Materies partim, partim instrumenta suarum.
Hæc ubi suspenso Siren penetralia gressu

Atti-

Attigit, accessum neque enim vetuere reductæ
Sponte fores, primum insuetæ spectacula lucis
Emersam e tenebris, mox Numinis ipsa, locique
Majestas, quamquam locus est, & Numen amicum,
Hærentem tenuere diu; cum nomine visam
Compellat, propiusque Pronœa accedere jussit;
Aggressamque loqui, conceptaque vota parantem,
Occupat his: Nostri custos fidissima regni,
Chara mihi ante alias, nostroque assueta vocari
Munere in ausoniis fortunatissima regnis,
Agnosco causamque viæ, quæque ultima gentis
Vota tuæ tecum materno in pectore servas.
Eveniet: Carolumque brevi factura Parentem
Virgo novo accedet thalamo: semperque renascens
Borbonidum hęrebit tyrrhenum in sanguine sceptrū.
I Siren: novaque hæc incende adgaudia cives.
Dixit: & innumeros inter sortita ministros
Cœlestem Genium, sua mox ad jussa vocavit:
Namq; huic imperium est humana in pectora: & unum
Si placet in votum, votum componit in unum
Occulta virtute animos, junctosque vicissim
Arte movet mira, sensusque infundit eosdem.
Huic Dea consilium, certæque oracula mentis
Explicat, & magni seriemque, modumque revolvit
Conjugii æterna jamdudum lege parati.

Qua

Qua face Borbonides Juvenis, qua Regia Virgo
Ardeat e Regnis longe quæsita Polonis:
Quove innexa Rosis revirescant Lilia cultu,
Omnia dat posito penitus dignoscere velo:
Nativamque novis confirmans viribus artem,
Ire jubet, tædasque animis inferre jugales.
Ille opus aggreditur jussus: seque ocyor auris
Proripit, & primum Tyrrhenis considet oris,
Orditurque novi fatalia stamina nexus.
Est in conspectu Prochyte, notissima Nymphis
Insula, ab Ænaria, cui quondam juncta putatur,
Angusto discreta mari: mitissima cœli
Temperie, & volucrum raris uberrima turmis.
Hìc Regem Nymphæ grato excepere recessu
Ereptum curis, atque inter amœna tenebant
Otia, nunc rapidas agitantem in retia prædas,
Nunc intercœptos gaudentem inhibere volatus.
Forte via Juvenis, motuque accensus anhelo,
Membra fovens aura circum adspirante sedebat,
Nunc mare prospectans, cœli nunc alta sereni.
Cum tacitum excipiens Genius, curisque vacantem,
Assidet occultus lateri: sensimque per artus
Nescio quos blandi sensus instillat amoris,
Primaque cœlestis diffundit semina flammæ.
Inde levem manibus complectens aera, in usus

 Ex-

Extendit, versatque novos; & partibus aptat
Partes, & vultus, humanaque membra figurat
Materia in tenui, possint quae Virgo videri:
Et, si verba addas, si spiritus imbuat artus,
Virgo erat. Haec Juveni formosi corporis umbra,
Ut primum objecta est, alio mens avolat: atque hic
Multa memor tacito recolens sub pectore secum
Excitat inspectae quondam vestigia formae.
Talis enim augustas inter depicta puellas
Visa olim fuerat peregrino AMALIA cultu
Blanditias oculis, vultuque afflare pudico:
Utque oculos, utque illa manus, utque ora gerebat,
Haec oculos gerit, ora, manus: geminaeque figurae
Nil varium est; nisi forte ea Virginis umbra videri,
Haec Virgo poterat: quae non formosior illa,
Grata tamen magis est, oculisque tenacius haeret.
Tunc animum placido Numen Geniale susurro
Adloquitur, junctisque monet componere dextris
Foedus, & in thalami partem, regnique vocare,
Quam genus, ac tantae commendat gratia formae.
Ardet, & ipse suos miratur CAROLUS ignes,
Non ante expertus: coeli tum jussa vocantis,
Ominaque accipiens, quaecunque ea signa tegebant;
Numina, ait; neq; enim rear haec sine Numine: Regnum
Si placet hoc tandem firmari foedere: nostrum

Si

Si Genus Augusto posthac in Sanguine niti
Firmius, & multa fecundum prole renasci;
Consilium sequar æternum. Pulcherrima regnum
Impleat, accedat thalamis Amalia nostris.
Dixerat: arridet Genius, flammasque jugales
Ter circum excutiens, cœptum bene cedere gaudet
Conjugium, & primo coeuntia fœdera nexu.
Inde alio terras percurrens Sole calentes,
Fulminis in morem, sua secum incendia ducit.
Saxoniæ fines, atque ipsam Principis aulam
Occupat. hic patriis gaudens Amalia rebus,
(Namque novum addiderat vicina Polonia nuper
Imperium; regnoque Pater felicibus orsis
Asserto, titulos Genti instaurarat avitos)
Virgineis animum studiis exercet: & ultra
Ætatis virides virtutem promovet annos.
Adstat, & occultos regali in pectore motus
Incendit Genius, placidusque immurmurat auri
Conjugis, & Matris nomen: quosque ille juventæ
Flos olim in fructus, melioraque germina crescat,
Occupat his vigilem curis: tum noctis amicæ
Præsidio inducit sopitæ somnia menti,
Et veram ficta portendit imagine sortem.
Olli, cum placidæ clausisset blanda quieti
Lumina, qui Dresdam mediis interfluit undis
Albis,

Albis, & adversas urbem partitur in oras,
Visus ab extremo primum succrescere fundo:
Inde suos fines, & notas linquere ripas,
Ingressusque novum late discedere cursum.
Jamque alia ex aliis lustrat loca: quaque vagatur,
Occurrunt populi, atque ultro confinia pandunt,
Exornantque viam, & plausu comitantur euntem;
Donec ad Ausonias peregrinis fluctibus oras
Pervenit, & campos lambens Sirenis, & urbem,
Sese aliis immiscet aquis; quas ubere cursu
Promovet, & versa senior profundit ab urna
Sebethus: namque hoc dicebant nomine flumen
Quæ circum festo ludentes agmine Nymphæ
Miscebant hilares hæc inter carmina plausus:
„Volvite felices socialia flumina cursus,
„Nec mala turbet avis bene cœpti fœderis omen.
Hæc dum Virgo avido percurrit lumine, somno
Invita excutitur, lucemque accusat iniquam:
Usque adeo objecta gaudebat imagine rerum.
Tum Patri, quæ visa, refert: qui singula pendens,
Magnum aliquod latet hoc rerum sub cortice fatum,
Exclamat: fluvios in mutua foedera junctos
Agnosco, teneoque omen. Tibi regna, Virumque
Terrarum pars illa parat, quam noster inire
Albis, & externas misceri visus in undas:

Aude

Aude animis, & spe venturam praeripe sortem.
Haec ubi gesta; novum Genius molitur ab alto
Conjugii signum populis portendere caelo:
Aerios tacitae sub prima silentia noctis
Incendit late tractus: arctoaque primum
Regna superfuso collucent igne; remotas
Inde etiam nova lux vocat ad spectacula gentes.
Vidimus hunc ipsi festivis ignibus axem
Auspicio fulgere novo, causaeque, reique
Ignari; neque enim sua Sol vestigia caelo
Liquerat, aut tenues afflarat Terra vapores,
Qui fuerant hominum studia in contraria sensus.
Dicam equidem, eventu cum rem metimur ab ipso;
Dicam audens, flammas tunc exarsisse jugales,
Signatumque jubar, quo mox invecta pudicum
In thalamum nostras cumularet AMALIA sedes.
Jamque Oratores aderant, jam regia Virgo
Quaeritur in thalami partem: promissaque Caeli
Auspiciis, facili firmantur foedera nexu.
Quis tunc laetitiae sensus, cum fama per urbes
Excurrit, Regumque implevit Nuncius aulas,
Quos jurata fides, aut quos cognatus amico
Foedere jungebat sanguis? quo concita plausu
Audiit, excepitque faces Europa jugales,
Queis tantae exarsere Animae? nil nomine vestro

Altius insonuit, Geminæ jam sidus in unum
Conjunctæ, alternoque micantes lumine Stellæ.
Vester honos, quicumque fuit, communis utrique
Crescere in alterutro visus: cœpitque vocari
CAROLUS AMALIA, Caroloque Amalia felix.
Quid tamen externæ teneant me gaudia gentis,
Majores quando ipsa suos mihi Patria plausus
Commemorat? nostrum illud erat, quodcumq; futurum
Conjugio ex illo signabant omina fatum.
Noster erat Princeps, cui regia Sponsa parabat
Dulce Patris nomen, seriemque in prole Nepotum.
Hìc thalami, soliique locum firmaverat Hymen:
Hos nova Majestas erat ingressura penates.
Jamque moræ impatiens gelidas tendebat in oras
Brachia Parthenope: Dominamq; huc supplice dextra
Maturare viam, nec publica vota morari
Instabat. Festos ornabat Misnia ludos,
Regalemque aliis mox concessura Puellam,
Officii partes, gratique implebat amoris.
Ipsa tamen nobis minus hæc aliena placebant
Gaudia, quæ nostris poterant mora parva videri.
Lentos ire dies, lentas succedere noctes
Credidimus: spatiisque novis loca dissita, per quæ
Ferret iter, nostrisque volens accederet oris.
Usque adeo impatiens amor est: semperque volenti
Lon-

Longius ex animo nimium expectata recedunt.
At nunc lætitiæ successu plena secundo
Vota locum cessere: & quæ sperata movebant
Gaudia, communes augent præsentia plausus.
O si totum animo se nunc infundat Apollo!
Exagitetque sinum flammis majoribus Œstrum
Grande, novum, quantumque sibi spectacula poscunt
Nulli visa prius, nulli servata nepotum!
Vidimus undantem populum per aperta viarum
Nulla lege rapi, festosque ciere tumultus:
Cum pars interea cultæ generosior Urbis
Effusa in choreas, duræve addicta palestræ,
Innocuis veram ad pugnam proluderet armis.
Vidimus invectas aurato culmine moles:
Detinuitque oculos species insueta triumphi,
Quem non exuviæ, non martia signa, nec hostes
Terrifico ornabant cultu; sed rite jugali
Pax, & Amor præerant, mitissima numina, pompæ.
Quid memorem domibus prætenta aulæa? quid amplo
Exceptura viros constructa sedilia circo?
Porticibusque adjecta novis fastigia longo
Ordine, & extructis innixa trophæa columnis?
Neu cito defluerent, ipsa in confinia noctis
Vidimus ire dies; lucemque, & gaudia gentis
Protrahere incensas festivo lumine turres.

Pa-

Pascere dum tamen hæc populum spectacula possent,
Una oculos, animosque augusto AMALIA vultu,
Explevit, tenuitque satis. spectacula desint;
Nam nihil est ultra visa quod Virgine spectes.
Os illi, frontemque manu finxisse pudica
Crediderim Charites, membrisque afflasse decorem,
Vividaque æthereum sparsisse in lumina lucem.
Quam blande in populum, qua majestate verendos
Virgo oculos, eademque movet Regina! venustam
Majestas facit ipsa, gravem facit ipsa venustas.
Gratiaque an cultum dubites, an poscat amorem
Dignius; officium nisi quod bene poscit utrumque.
Vivite felices, concordi vivite fato,
CAROLE flos Regum, tuque o lux altera regni
AMALIA: in vobis populi Fortuna resedit,
Additaque est faustis, quæ pars erat ultima, rebus.
Quod superest, vestræ nobis Virtutis imago
Hæreat: & multa vivax in prole resurgat.
Auguror: augusta Puer en colludet in aula,
Par Matri, Patrique Puer: nec Numina fato
Destituent thalamum, quem complevere, secundo.
Tunc erit, ut plectrum, Phæbo impellente, resumam
Lætior; & prolem, magnosque in prole Parentes
Plausu rite novo, numerisque recentibus ornem.

LECTOR

SI forte in has voces, *Fatum*, *Fortuna*, *Augurium* &c. incideris; cave id Poetæ tribuas Catholicæ Religionis tenacissimo · sed poetico more Veterum fabulis ad elegantiam accommodato, quicquid id est, dictum puta.